

vesicam; an ignis atomi ingressæ vesicam, unde verò hoc constat? unde à sole ignis? cur non adurit ignis totam implens vesicam? Et cui ignotum, quomodo humores in corpore nostro in vapores etiam tenuiores resolvi possint, quod ventris boatus & mugitus, ructus, sternutationes &c. docent.

6. Dices? Vapores esse ipsam aquam in multas atomos dispersam & Vaporem continuum quid esse videmus, non dispersas atomos. Vaporem v. non esse aquam, si utriusq; rationes considerentur, patescit: aqua enim per naturam gravis est, & in aere descendit, vapor levis est, & ascendit: aqua est naturâ frigidum quid, vapor calidus, adeoq; aeræ potius naturæ vapor est, quam aqueæ, aqua vero resoluta, qualis vapor esse dicitur, non magis aqua erit quam glacies vel nix resoluta nix est amplius vel glacies. Et quomodo tota aquæ atomos, tantum spatium occupantes, quantum vapor sibi sumit, in aquâ fuisse probabitur? quomodo aqua ascendet? atomos verò ignis leves, vapor admittas, aquam gravem sursum vehere, unde innotescit: & ut cum adversariis ratio cinemur, qua ratione hostis hosti ita arctè adhæret, quem alias extremè fugit?

7. 2 Aerem mutari in aquam. Observamus id in vapore & aere tepidiore ac vaporosiore circa fenestras, circa cantharum vel gladium frigidum in calidum locum illatum, in operculis item ollarum, in balneis, circa lapides & metalla frigida concrecente, & in guttulas etiam confluentem. Sic aer calidus ex ore egrediens, hyemis tempore circa barbas, vel si frigidum quoddam e. g. vitrum vel speculum eo affletur, frigidior & crassior factus, concrecit: ita hyeme, frigore remittente, vaporosus aer tepidior, circa muros & lapides frigidiores, item circa clavos ferreos, & alia, ad modum pruinae congelatus, conspicitur. Vapor quoq; per poros cutis egrediens, in cute frigidior in sudorem aqueum concrecit. Et cum quotidie Sol, imprimis ex Oceano Atlantico, Indico & Athiopico aquam in magnâ copiâ in vaporem & aerem mutet, multum sanè aeris in montibus rursus in aquam concrecere necessum est, unde fontium & fluminum originem deducit Philosophus, quæ in mare rursus influunt; quod nisi fieret, ubi tandem omnis aer maneret, & quantum aquæ quotidie mari decederet? Circularis scil. hæc est generatio, ut rerû universitas conservetur. Idem in destillationibus, & quæ artè,
& quæ